

aut discerniculi, aut motivi objecti tribueret; sed potius vires illi ex parte subjecti vindicatum ibat, cum illustrationes non ad *facilius*, sed ad simpliciter, modo salutari scilicet ac supernaturali, intelligendum necessarias esse contenderet.

Ad 2^{um}. R. N. A. Non enim requiritur, ut Parochus *strictè* loquatur nomine Dei, sicut Prophetæ olim loquebantur; sed sufficit, quod proponat doctrinam a Deo revelatam, confirmatam per miracula, et ab Ecclesia Catholica creditam: hac enim ratione rudis habere potest certitudinem respectivam, quod Parochus veram doctrinam proponat.

Ad 3^{um}. R. N. 2^{um}. *p. Ant.* Quamvis enim rudis, supra certitudinem de rebus ab instructore doctrinæ cœlestis reflectens, possit habere *discerniculum* suæ adhæisionis ad hanc veritatem potius, quam ad illam profanam aut ab alio propositam; id tamen non præstat talem certitudinem, quæ nequeat adæquari ad articulum fidei falsum; hinc per reflexionem etiam factam articulus verus a falso discerni nequit.

ARTICULUS III.

AN PRÆVIE AD ACTUM FIDEI REQUIRATUR PIA AFFECTIO?

180. *Dico.* Ad omnem actum fidei supernaturalis infusæ requiritur *pia affectio* seu voluntatis imperium immediatum, positivum et directum. Ita cum Suar., Lug. et alii communiter.

Prob. AUCTORITATE. Ad Rom. 1. 5. dicitur: *Accepimus gratiam ad obediendum fidei*: obedientia autem pertinet ad voluntatem; unde D. THOMAS in hunc locum Lect. 2. citans AUGUSTINUM probat, quod *his, quæ sunt fidei, voluntate consentiamus*. Ad Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam*: ubi nomine cordis significatur voluntas, ut explicat S. TH. Lect. 1.; unde Act. 8. 37. Philippus dixit: *Si credis ex toto corde*, h. e. ex tota voluntate, sicut de amore Dei ex toto corde præcepto intelligitur. Quæ quamvis detorqueri soleant in alium sensum et explicentur aut de voluntate *permittente*, aut de *mediata*; tamen interpretatio hujusmodi, quæ nimis violenta per se intelligitur, aperte a S. TH. hic q. 2. a. 9. ad 2. rejicitur. ARAUS. II. c. 5. docet, *initium fidei esse credulitatis affectum, eumque inesse nobis per inspirationem Spiritus sancti; corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem*. TRID. Sess. 6. c. 6. ait: *Fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum credentes*: ubi libera voluntatis motio ponitur post conceptam ex auditu fidem, h. e. post judicium credibilitatis. AUG. Tr. 26. in Joan. n. 2. *Intrare, inquit, quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens: credere non potest nisi volens*. Et L. de Præd. Sanctorum c. 5. n. 10. *Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ; sed quia in electis præparatur voluntas a Domino*.

Conf. RATIONE. 1^o. Ad assensum determinatum et positivum intellectus requiritur causa positiva determinans: sed fides est talis assensus, neque illius determinans causa positiva est ipse *intellectus*, qui in obscuris ab alio determinari debet; non est *motivum*; quia et hoc inevidens est, non obstantibus

præviis cognitionibus: nec est *objectum materiale*, utpote quod, etsi etiam ipsum sæpe obscurum non foret, actum fidei non facit aut infert; ergo. 2^o. Assensus fidei debet esse liber et meritorius saltem moraliter et denominative; ergo. 3^o. Quantamcumque etiam evidentiam habeant cognitiones præviæ, et quantumvis voluntas non resistat, illæ ad summum determinant intellectum ad assensum innixum illi evidentiam, et quoad firmitatem proportionatum; minime autem ad assensum obscurum innixum soli revelationi divinæ et firmiorem, quam mereantur illa motiva; ergo præter illas cognitiones etiam aliud requiritur, imperium nempe voluntatis.

181. *Obj. I.* Intellectus movetur et rapitur a vero; ergo non a voluntatis imperio. *Conf. 1.* Voluntatis necessatur ad amorem objecti, quod ut bonum quamvis inevidenter proponitur; ergo etiam intellectus ad *assensum* objecti, quod proponitur ut verum licet inevidenter. *Conf. 2.* Dæmones non habent *piam affectionem*, et tamen Jacobi 2. 19. credunt et contremiscunt; ergo fides absolute haberi potest sine voluntatis imperio.

R. D. M. Intellectus movetur et rapitur a vero evidenti C. a vero obscuro, aut solum probabili N. In his, ubi evidentia veritatis abest, subjective determinatur a voluntate, per suum imperium quodammodo supplente defectum evidentiam: quod quidem si fieri non posset, locum haberet propositio 19. ab INNOC. damnata.

Ad Conf. 1^{am}. *Disparitas* est, quia obscuritas ac inevidentia, qua intellectui veritas proponitur, est quoddam malum intellectus et quædam species negativa falsi, adeoque sufficiens est, ne rapiatur intellectus ad assensum: nam sicut voluntas solum necessatur ad amorem objecti, si proponitur ut bonum sine advertentia ad rationem mali seu positivi seu negativi; sic etiam intellectus tantum in ratione veri necessatur. Obscuritas autem et inevidentia bonitatis non est malum voluntatis ne quidem negativum, saltem ita proprium ac est malum intellectus; adeoque non sufficit ad suspendendum exercitium amoris.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. A. Dæmones credunt actu fidei supernaturali N. naturali *Subd.* qui sit liberum obsequium intellectuale ac præcise respectu auctoritatis divinæ N. qui talis non sit C. Dæmonum assensus ad res revelatas nec liber omnino est, nec unice in auctoritate Dei revelantis nititur, cum ex naturali intellectus sui excellentia moralem saltem de fidei mysteriis aut de revelationis existentia habeant evidentiam: inde vero is etiam assensus in dæmonibus non est appetitive summus sed, proportionatus duntaxat motivis credibilitatis; adeoque ad illum non requiritur imperium voluntatis, quæ potius in illis veritati reluctatur.

182. *Obj. II.* Objectum formale fidei sufficienter applicatur intellectui, *mediate* per signa credibilitatis, *immediate* per illustrationem supernam; ergo superfluum est voluntatis imperium. *Conf. 1.* Evidentia credibilitatis non relinquit locum positivo dissensui, quia determinat ad hoc judicium: Revelatio non potest prudenter *negari*: et etiam determinat ad hoc: Assensus circa revelationem non potest prudenter *omitti*; ergo. *Conf. 2.* Ad credendum aliquid *fide humana* non requiritur pia affectio; dum enim viri plures iique graves rem aliquam factam affirmant, intellectus sine volun-

tatis imperio ad consensum inclinatur; ergo nec ad credendum fide divina illa affectio requiritur.

R. D. A. Sufficenter applicatur, ut intellectus assentiatur ex determinatione voluntatis C. ut assentiatur ex determinatione objecti N. Vis objecti formalis obscuri non est determinativa, sed duntaxat *objectivè* motiva, ita tamen ut hanc vim exercere nequeat nisi mediante voluntatis imperio et determinatione; uti patet in motivo mere probabili.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. Determinat ad iudicium, quo asseritur non posse omitti assensum ob inhonestatem omittendi C. ob fundamentum evidens et rapiens ad assensum N. Cum iudicium credibilitatis non afferat veritatis evidentiam, non excludit fundamentum *omittendi*; et licet asserat assensum non posse prudenter omitti, hoc ipsum tamen propter inhonestatem asserit, cum quo componi potest omissio imprudens; ut accidit quodcumque voluntas peccat omittendo actum præceptum.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. A. Ad credendum fide humana non requiritur pia affectio seu voluntatis imperium in rebus quoad se facile perceptibilibus et factibilibus, nullamque in credendo difficultatem asserentibus T. in rebus arduis, extraordinariis, aliisque, quibus præsertim vel rationes vel animi affectus repugnant N. Huiusmodi autem pleraque fidei mysteria esse constat. Præterea *disparitas* est; quia objectum fidei humanæ non raro est evidenter verum; ipse assensus non adhæret objecto firmissime; animus etiam credendi nec universalis est, nec passim in reverentiæ aut obsequii testimonium præstatur: objectum autem fidei divinæ, saltem formale, manet semper obscurum; ipse assensus firmissimus et excedens firmitate meritum rationum: ad fidem impellentium; animi præparatio generalis ad credenda firmissime etiam creditu difficillima; protestatio denique reverentiæ et intellectus captivatio in obsequium fidei semper adest ad meritum obtinendum.

ARTICULUS IV.

AN ACTUS FIDEM PRÆCEDENTES, SINT ENTITATIVE SUPERNATURALES?

183. Nota. Primam mysterii, revelationis ac motivorum *propositionem* supernaturalem esse, videtur communis acceptio probare, quæ hæc nomine illustrationis supernæ usurpatur: pro *examine* autem loquitur illud Act. 16. 14. de Lydia muliere testimonium: *Cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo*. Denique pro utroque iudicio *speculativo*, altero quidem affirmante revelationis existentiam, altero affirmante mysterii credibilitatem, stat utriusque necessitas vel ad fidei actum ipsum, vel ad piam affectionem requisita. Agimus vero hic duntaxat de pia voluntatis affectione et iudicio credibilitatis *practico* seu proxime dirigente voluntatem ad imperandum fidei assensum supernaturalem, quod alias iudicium credentitatis appellatur.

184. Dico I. Pia affectio seu voluntas credendi est *entitative* et quoad substantiam supernaturalis. Ita communis Theologorum.

Prob. Argumentis iisdem, quibus necessitatem piæ affectionis ab auctori-

tate stabilivimus. His, præter alia in Tr. de Gr. allata, accedit testimonium S. AUGUSTINI L. de Sp. et lit. c. 34. scribentis: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus... His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat; profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos etc.*

Conf. Tum quia voluntatis imperium per se disponit, et immediate ac necessario inducit ad actum fidei supernaturalem, adeoque juxta communissimam in Tr. de Gr. doctrinam debet et ipsum esse entitative supernaturale: tum quia sicut actus fidei excedit vires naturæ, sic et voluntas efficax illum actum amplectendi easdem vires superat: tum quia hæc affectio et de se meritoria est, et rationem meriti tribuit assensui fidei.

185. Nec dicas 1^o. Fides a Scriptura et Patribus dicitur initium meriti et salutis; ergo affectio pia eandem præcedens nequit statui meritoria, ideoque supernaturalis. Conf. Ad iudicium credentitatis supernaturale non prærequiritur voluntas supernaturalis imperans; ergo nec ante actum fidei supernaturalem requiritur.

R. D. A. Fides sumpta in abstracto, seu prout præcise est actus intellectus, dicitur meriti et salutis initium N. Fides sumpta in concreto, seu prout fidei nomine intelligitur unum concretum morale, liberum ac meritorium, constans scilicet ex actibus fidei præviis, maxime actu voluntatis imperante, et intellectus imperato T. Patres initium meriti ac salutis tribuentes fidei non locutos unice fuisse de assensu intellectuali, vel una controversia cum Pelagio ejusque reliquiis agitata abunde demonstrat. Dixi: *Transseat*; partim quia nec fidem sic acceptam esse primam gratiam ac initium merendi, patet ex propositionibus Quesnelli damnatis 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem*. 27. *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum*: partim quia et ante fidem dispensantur infidelibus, tempore opportuno et urgente præcepto, sufficientes gratiæ, uti ostendit damnata ab ALEX. VIII. propositio: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a J. C. influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente*.

Ad Conf. R. N. Cons. *Disparitas* est, quia iudicium credentitatis, utpote actus plerumque evidens, non est obsequium intellectuale liberum respectu Dei, quale tamen actus fidei tum a Scriptura, tum a Patribus statuitur; adeoque illud, ad imitationem hujus, nec requirit, nec præsupponit voluntatis imperium. Præterea dictamen illud spectat ad id genus actuum, quos in nobis Deus, sine nobis libere cooperantibus, operatur: e contra fides, utpote meritoria, non nisi libere nobis cooperantibus ponitur; cum vero libertatem hanc nec in seipsa formaliter habeat, nec ab intellectu obtinere queat, voluntatis imperium præire necesse est, a quo et liberi et meritorii denominationem participet.

186. Nec dicas 2^o. Potest quis converti ad veram fidem propter regnum, divitias, aut alia commoda naturalia acquirenda, vel mala vitanda, ut experientia docet: sed talis intentio seu voluntas amplectendi fidem saltem non est supernaturalis; ergo. Conf. Ipsa voluntas, etiam supernaturalis, credendi

potest imperari a voluntate venialiter mala; ergo et actus fidei poterit immediate imperari a voluntate venialiter mala, ac consequenter naturali.

R. D. M. Propter illa naturalia vel acquirenda vel vitanda potest quis mediate et remote converti C. immediate et proxime Subd. potest quis converti ad fidei confessionem externam, vel ad fidem mere humanam et naturalem C. ad fidem internam, eamque theologicam et supernaturalem N. Possunt quidem illa motiva naturalia impellere hominem, ut indaget veritatem, et ex motivis credibilitatis ad judicia fidei prævia pertingat, quæ tandem pia affectio et fides subsequatur; ad ipsam vero fidem motivum seu objectum formale esse nequeunt, ut per se patet; neque etiam motivum impulsivum ex se sufficiens dici possunt. Cum enim captivatio intellectus et assensus firmissimus veritati obscuræ præstitus merito inter opera ardua et libertati æque ac nativæ volubilitati repugnantia fere præcipuum locum obtineant; moraliter loquendo, impossibile videtur ut quis propter motiva ejusmodi sola fidem internam ac veram suscipiat. Hinc S. Aug. L. de Catechiz. Rud. c. 5. *Rarissime accidit, inquit, imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore percussus. Si enim aliquod commodum exspectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando..... vult fieri Christianus; non fieri vult potius quam fingere. Fides enim non est res salvandi (alii legunt salutantis, h. e. assensum gestu significantis) corporis, sed credentis animi.* Ex eo autem capite multo minus illa motiva sufficiunt ad fidem supernaturalem; cum hæc non sit sine gratia, gratia autem ordinarie donetur tempore opportuno, quod certe non habetur per illas intentiones prorsus terrenas, aut etiam peccaminosas.

Ad Conf. R. T. A. Nam proprie loquendo actio supernaturalis non potest fieri ex fine malo, sed dumtaxat cum malo fine aut affectu. N. Cons. *Disparitas* est, quia in priori casu voluntas credendi honesta supponitur habere propriam libertatem et motivum honestum; adeoque de se, intrinsece et formaliter sicut honesta est, sic etiam supernaturalis esse potest, quamvis extrinsece ac denominative etiam mala ab actu præcedenti dici queat: cum vero ex adverso actus fidei de se ac intrinsece liber non sit, ac proin nec formaliter honestus ac meritorius; nisi voluntatis imperium honestum, ac moraliter bonum præcedat, nec fundamentum quidem adest pro actus fidei supernaturalitate.

187. *Nec dicas* 3^o. Si admittatur pia affectio supernaturalis, debet etiam statui supernaturalis illius habitus: sed dici nequit, qualis ille sit, et ad quam virtutem pertineat; ergo.

R. N. m. Sicut dictum supra, specialem esse honestatem propositam piæ affectioni, quæ scilicet relucet in subjectione intellectus ad auctoritatem loquentis et in assensu revelationi præstando; sic etiam dicendum est, specialem dari virtutem moralem per se infusam, distinctam imprimis a reliquis virtutibus moralibus ob formale objectum diversum; deinde etiam diversam ab habitu fidei, qui ad intellectum pertinet, cum illa sit propria voluntatis, quamvis mutuo conjungantur, nec unus sine altero habitu infundatur aut maneat; denique aliam omnino a charitate, utpote ab hac separabilem, et ob defectum motivi divini non theologicam.

188. *Dico II.* Judicium credibilitatis practicum, seu dictamen credentis, est quoad substantiam supernaturale.

Prob. Juxta Apost. c. 2. ad Cor. 3. 5. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est: quem textum Concilia et Patres communius interpretantur de cogitatione per se ad justificationem et salutem pertinente ac disponente; qualis, præ aliis omnibus, dicenda est judicium practicum.* Hinc ARAUS. II. cap. 7. sic loquitur: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salvari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu, non intelligens illud Apostoli: Non quod idonei sumus cogitare aliquid ex nobis etc.* Similiter S. AUGUST. eundem textum usurpans L. de Præd. Sanctorum. c. 2. n. 5. judicium credibilitatis esse supernaturale contendit; quin ex eodem evincit etiam alias cogitationes, affectionem voluntatis præcedentes, a Dei dono proficisci; dum L. 2. ad Bonif. c. 8. n. 18. sic scribit: *Cogitare aliquid, utique bonum; minus est autem cogitare quam cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus, nec tamen cupimus omne quod cogitamus. Cum igitur minus sit cogitare quam cupere: potest enim homo cogitare bonum quod nondum cupit; et proficendo postea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit: quomodo ad id quod minus est, id est, ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; et ad id, quod est amplius, id est, ad cupiendum aliquid boni sine divino adjutorio idonei sumus ex libero arbitrio?*

Conf. 1. Sicut juxta Can. 4. Concilii Carthag., quod nomine Milevitani II. alias laudatur, *donum Dei est, scire quid facere debeamus; sic idem etiam dicendum est de judicio practico credibilitatis, quo scimus, quid credere debeamus; cum gratiam non minus ad initium fidei, quam ad operis exordium necessariam esse, constet ex dogmate Ecclesiæ contra Semipelagianos; ergo judicium illud supernaturale esse conficitur.*

Conf. 2. Inter omnes cogitationes præambulas nulla est, quæ magis disponat per se, ac positive inducat ad supernaturalem piam affectionem, quam judicium practicum credibilitatis: sed nihil mere naturale per se ac positive disponere ac inducere potest ad supernaturale; ergo.

189. *Nec dicas* 1^o. Judicium illud non exigit concursum gratiæ ratione objecti; quia obligatio credendi naturaliter cognoscibilis ac evidens est: nec ratione potentæ; utpote quæ ex se vires sufficientes habet ad ejusmodi objectum cognoscendum: nec ratione piæ affectionis; tum quia sufficere potest naturalis cognitio, voluntatem supernaturalem præcedens: tum quia supernaturalitas piæ affectionis non desumitur a cognitione dirigente, sed a principio supernaturali influente.

R. Permissa 1^a. et 2^a. p. N. Cons.; quia desideratur auxilium gratiæ ratione ipsius cogitationis *salutaris et ut expedit*, quemadmodum ARAUSICANUM loquitur. Ad 3^{am}. p. N. Ass. Quoad 1^{am}. prob. rursus N. Ass. ob rationem in Conf. 2^a. datam; cui accedit, tum quod sicut ad actum voluntatis spirituales requiritur cognitio spiritualis, ad actum materialem potentæ appetitivæ cognitio materialis; ita ad volitionem supernaturalem cognitio

eiusdem ordinis præmitti debeat : tum quia alias ratio congruentiæ non adesset pro necessitate fidei supernaturalis ad placendum Deo contra Script. et Concilia ; cum etiam hic per cognitionem aut fidem naturalem posset quis moveri ad amandum Deum. Quoad 2^{am}. *prob. C. Ass. sed N. Supp.*, quod inde supernaturalitatem piæ affectionis deducamus, aut hoc argumento utamur. Non enim arguimus sic : Cognition prævia est supernaturalis ; ergo et pia affectio : sed e converso : Pia affectio est supernaturalis ; ergo et cognitio practica, tanquam prævia dispositio ultima proportionata.

190. *Nec dicas 2^o.* Sive dicatur pia affectio sequi necessario ad iudicium practicum, sive non, potest colligi iudicium hoc non esse supernaturale : nam in primo casu, quia nec pia affectio, nec fides essent liberæ ac meritorie, consequenter nec supernaturales, frustra omnino requireretur supernaturalitas iudicii prævii : in secundo autem, sequeretur voluntatem posse negligere suasionem iudicii prælucentis ; unde, et ex supposita iudicii supernaturalitate, proflueret hoc absurdum, quod homo simul haberet actum supernaturalem, et simul esset infidelis. *Conf.* Rursus pro hoc iudicio statuendus esset habitus supernaturalis ; qui tamen vel assignari non potest, vel pro libitu assignatus auget numerum supernaturalium sine necessitate.

R. N. *Ass.* Permissa utraque probatione, nego in secundo casu evenire majus absurdum, quam ex eo quod quis illustrationem ac motionem supernam, quam habet, non sequatur, aut intelligens obligationem servandi præcepta, ea nihilominus violet.

Ad Conf. R. Assignari imprimis a nobis pro habitu specialem prudentiam infusam, dictantem debitum et obligationem credendi : hanc verò ab habitu prudentiæ generalis infuso distinguimus ; tum quia hic est directivus virtutum moralium fidem sequentium, illa autem per se saltem fidei habitum præcedit : tum quia prudentia generalis superna amittitur pereunte charitate, ad cuius comitatum æque ac virtutes morales, pertinet ; specialis autem non nisi cum fidei habitu, desinere videtur ex data proxime ratione. Deinde vero non multiplicari habitus sine necessitate, probat diversitas objecti formalis et modi tendendi, quæ non sinit hoc iudicium practicum reducere ad habitum fidei, ut Thomistæ contendunt.

CAPUT II.

DE NATURA ACTUS FIDEI.

ARTICULUS I.

AN ACTUS FIDEI SUPERNATURALIS NECESSARIO SIT VERUS ?

191. *Nota.* Naturæ nomine solet hic intelligi tum ipsa rei essentia, tum proprietates. De Essentia fidei, h. e. de objecto materiali, formali et modo tendendi proprio dictum hactenus ; proprietates eiusdem sunt libertas, honestas, supernaturalitas et meritum : magis autem controversæ sunt veritas, certitudo et obscuritas ; et de his agendum. *Falsitas* fidei haberi potest vel ex objecto materiali non ita se habente, ut creditur, vel ex objecto formali non existente, propter quod creditur. Unde hic duplex quæstio proponitur : 1^a. An res a Deo revelata, etsi per se sit contingens, sit infallibiliter vera, absoluta infallibilitate, ex hypothesi divinæ revelationis ? 2^a. An ad actum fidei supernaturalis sufficiat revelatio apparens tantum et existimata ? Prior porro dependet a gemino hoc quæsito : An Deus non tantum nunquam falsum revelaverit, aut mentitus sit, sed et falsum revelare aut mentiri de potentia, ut vocant, absoluta nequeat ; posterior autem circa duos casus versatur, quibus revelatio reipsa non facta, existimari tamen ac apparere potest tanquam facta : alter nempe est, si objectum in se falsum vel impossibile, v. g. quod tota Trinitas sit incarnata, per errorem putatur esse revelatum a Deo : alter, si objectum quidem in se sit verum, non tamen a Deo revelatum, et nihilominus per errorem revelatum esse iudicetur.

192. *Dico I.* Deus falsum nunquam revelavit, nec absolute revelare potest : adeoque sicut objectum a Deo revelatum infallibiliter verum est, sic etiam fidei divinæ actus necessario est verus ex parte objecti materialis.

Prob. 1^a. p. Quamvis respectu creaturarum diversa et separabilia sint, dicere physice falsum, dicere moraliter falsum, ac formaliter mentiri ; hæc tamen in Deo sunt realiter idem, nec a se invicem separantur, quia 1^o. quidem Deus necessario et infallibiliter scit esse falsum, quod physice falsum est ; adeoque illud dicens etiam scienter falsum diceret : 2^o. autem, quia Deus infallibiliter scit obligationem ortam ex dictamine suæ sapientiæ, quod nempe sibi loquendum non sit contra veracitatem ac mentem suam, ne reddat se fide indignum ; adeoque dicens physice ac scienter falsum, mentiretur formaliter. Atqui Deum nunquam esse mentitum, Scriptura testatur Num. 23. 19. *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet ? Locutus est, et non implebit ?* Ad Tit. 1. 2. *Spes vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus.* Ad